

9.¹⁾ Rubrica qui testimonium iuratorum reiicit et fassioni eorum contradicit; qualiter ille punietur et emendabit, a) qui iuratum unum vel plures pro causis suis coram quattuor sedilibus pati debet et in eum vel eos consentit, vulgariter dicendo geduldet, et postea in maniloquio vel iudicio publice et temerarie iuratum vel iuratos eosdem, dum dicere debent, seu postquam dixerint, reiicit ac testimonio^t eorum et fassioni^u contradicit. Super quo diffinitum fuit, quod ille, si attestationem iurati reiicit unius solvet 5 libras pro emenda. Si vero plurium testimonio^v iuratorum contradicit, ut prius, secundum quemlibet iuratum reiectum seu denegatum solvet 5 talenta pro emenda; ita quod pre omnibus eundem vel eosdem iuratos precibus proborum virorum pro tanta irreverentia placatos habebit.

b) Item quod non obstante iuramento, quod reus ipse pridem pro consobrino prestitit et ipsum iuverit, dato, quod sciverit consobrinum male iurasse pro vita defendenda vel alia causa honesta, tamen actor ipse modernus pro vulnere ipsum impetens, ipsum reum a iure suo repellere non potest, sed mettercius in cruce innocenciam suam demonstrabit pleno iure.

c) Item ex quo reus iuramento suo actorem evasit, ipse per hoc actori solvit et satisfecit. Sed ex confessione postea facta se culpabilem reddendo, alio modo, quia forsitan eo minus de fide ipsius esset presumendum, ipse honori suo consciente quodammodo derogavit.

d) Item mulier aut maritata aut vidua vicem actoris seu rei habens, tenetur stando et non sedendo iurare tamquam vir, sicut enim iure canonico hoc stat sic et iure civili.

10.²⁾ Casus mirabilis super infamia cuiusdam mulieris. Iurati de Eywanczicz scripserunt sic: „Cliens quidam quandam carnaliter cognovit virginem et ambo pro tunc liberi [fuerunt]^w, que nunc maritata est aliquibus ab annis. Modo cliens predictus quandam in curia sua habet procuratricem, quam matrona prefata, ratione forsitan clientis, supremo tenet in odio. Que etiam clientem et famulam suam et familiam pluries verbis et factis offendit. Quod cliens marito eius plurime conquerens, ut uxori sue inhiheret et eum et famulam suam pace tranquilla frui sineret. Matrona vero non advertendo, procuratricem clientis in curia sua lapidum ictibus iterum graviter offendit. Cliens etenim commotus, quoddam honesti hominis hospicium subintrans, ubi maritum matrone prefate aliis cum hominibus probis et iuratis inveniens et ei furiose dixit in manifesto: „Uxor tua, persupposita meretrix, me et familiam meam semper offendit, ut tibi pluries de ea sum conquestus, ei ut inhiheres, nec fecisti,

^t) H[ic] testimonium. ^u) H[ic] fassionem. ^v) H[ic] testimonium.

^w) fuerunt fehlt in H[ic], Sortierung sonst sinnlos; gemeint: unverheiratet, wie der weitere Verlauf zeigt.

¹⁾ S. o. S. 441.

²⁾ S. o. S. 457.